DOCTRINA JOHANNIS GERSONII DE THEOLOGIA MYSTICA.

Charles JOURDAIN

Admis au grade de docteur, le mardi, 17 juillet 1838

912 **Jourdain**, C. Diss. sur l'état de la philos. naturelle en occident et principalement en France pendant la 1re moitié du XIIe siècle. 1838, in-8, 111 p. 3 50
913 — Doctrina Johannis Gersonii de theologia mystica. 1838, in-8, 53 p. 2 25

PARISIIS,
EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
VIA JACOB, N° 56.

1838.

AVO CARISSIMO

ROUGEOT-DESESSARTZ

D. M. P.

Non nulli inter philosophos reperiuntur qui, dum oculos quocumque circumferunt, omnem rerum naturam, non nisi intimo quodam mentis intuitu, considerare solent. Hi *mysticorum* nomen sibi vindicant; in eoque vis eorum doctrinæ sita est, ut vitæ foras evagantis pericula, et frequentioris cum hominibus commercii incommoda demonstrent, tum in solitudine demum et silentio, unumquemque recte philosophari posse contendant. Quando enim in interioribus veluti spatiis animi commoraris, arcanamque illam, quæ secretis meditationibus continetur, scientiam facilius adipiscaris, quam cum te a mundo remotum, nullus unquam rumor, aut negotiorum strepitus tacite cogitantem distrahet et avocabit?

Hoc ergo mirandum videbitur et singulare, si quis non verbo tantum, sed re mysticus, in seculo tamen, non in claustris, in principum aulis, non in monachorum umbraculis, publicos inter tumultus, non inter otia vitæ cœnobiticæ, multiplici scientiæ sanctissimarumque artium gloria floruerit. Is fuit Gersonius, de quo præsens instituitur disputatio.

Johannes Gersonius, Universitatis Parisiensis Cancellarius, in viculo ejusdem nominis, prope Rhetelium, anno 1363 natus. Parentes habuit genere et opibus parum conspicuos, sed pietate insignes; qui quidem cum nihil magis exoptarent quam ut diligens Dei cultor ipse evaderet, in id unum omnem curam contulerunt.

Postquam eorum disciplina Gersonius, cum ætate tum sapientia crevisset, domum patriam, annum quartum decimum agens, liquit, Lutetiamque venit, humanarum divinarumque rerum studio operam daturus in collegio Navar-

ræ, celeberrima inter cæteras schola (1377). Hic accurate eruditus ab egregiis præceptoribus, inter quos Alliacensis erat, vir moribus, ingenio, doctrinaque nobilis, quo sibi benevolentiorem per totum vitæ curriculum invenit neminem, qualis esset brevi tempore ostendit, fecitque apud omnes magnam sui exspectationem. Quæ quas habuerit eventus, Gersonius ipse tam cito ad honores promotus satis demonstrat.

Vix enim attigerat vigesimum annum, cum procurationem, nationis Gallicæ suffragio electus, obtinuit (1383). Paulopost eum Universitas Parisiensis, quamvis baccalaureus tantum esset, adscripsit in societatem legatorum quos ad Clementem pontificem, de improbanda quadam Dominicanorum sententia, miserat (1388). Eodem tempore accipiebat provinciam concionum in curiis solemnibus habendarum. Mox eo accessit quod laurea doctorali in facultate theologiæ ornatus est (1392), ac demum ad cancellariatum Academiæ, post ejurationem magistri sui Alliacensis, qui paucis abhinc annis munus illud gerebat, evectus.

Ac pauci quidem officium cancellarii, tanta diligentia quanta Gersonius impleverunt. Hunc per annos viginti temporibus difficillimis videmus, qualiscumque sit rerum publicarum tenor, nullius negotii molestiam recusantem, optimaque in promptu consilia habentem. Modo theologiæ quæ eo tempore regnum in scholis habebat vitia detegere, bonis autem favere studiis; modo clericorum mores perditos probrosamque ignorantiam emendare: modo errores varios qui per credulam plebem irrepebant, oppugnare: sæpe etiam inter factionum quibus Gallia dilacerabatur inimicitias bellaque, præsenti Carolo rege, pacis et justitiæ causam in concionibus tueri; nihil prorsus omittere quod presbyterum, quod civem, quod theologum deceat.

Dum totus in his officiis atque negotiis hæret Gersonius, non tamen se abstinet a controversiis quæ, durante Magni Schismatis pertinacia, jamdudum per ecclesiam fervebant.

Quidquid in hac palæstra sudavit Universitas Parisiensis, aut vidit, aut pro virili parte sustinuit, omnibus conventibus adfuit, crebro concionatus est, plura etiam scripsit, quæ prudentiam viri non mediocrem testantur. Cum autem totis viribus enixus fuerit, sive ut animi ad concordiam revocarentur, sive ut religionis christianæ integritas nihil detrimenti acciperet, tota præsertim opera confirmandam et comprobandam suscepit eam quam sibi concilium œcumenicum in summum pontificem vindicabat auctoritatem. Non hic profecto locus est quidquid ea mente edidit recensendi. Silentio tamen præterire non licet celebrem ejus de Auferibilitate Papæ tractatum, quo papam ab ecclesia deponi posse, fuse ac luculenter ostendit. Tractatus iste, circa annum 1409, Pisanæ synodi tempore, scriptus est.

Postquam hæc et alia impigri ingenii spicimina dedisset Gersonius, ipso veritatis excolendæ studio, graves in se inimicitias concitavit, et in pericula venit non parva. Cum enim ducis Aurelianensis cædem, ducis Burgundiæ opera perpetratam, palam detestaretur, prorsusque plebeculæ minas negligeret, anno 1413, tumultu in urbe exorto, ejus ædes direptæ fuerunt, ac ipse quæsitus a seditiosis, non nisi fuga, mortem devitavit. Non ideo tamen animo defecit, imo vero novas in periculis ad pericula vires duxit: « Necquicquam minamini, tunc exclamabat, necquicquam occidetis. Quod si occideritis aliquem, quid inde? Ille quidem citius veniet in gloriam æternam [1]. » Vicit jus constan-

[1] « L'Université a plus d'yeux que Argus, plus de cent regards, voire de mil. Elle oit aucunes rumeurs qu'on veut empeschier la paix et nourrir partialitez par moyen bien estranges. On découvrira tout, on dira tout. Et ne faut point menacier, ne occire aucuns; les autres cent et cent en seroient plus animez à garder l'authorité royalle et vérité, comme au fait est apparu. Donnez que on occira un pour dire vérité; quoy dela? Il en venra plutot en gloire éternelle et sera délivré de grande meschance. » Oratio pro Pace, Opp. IV, p. 674.

tia firmatum, impetravitque post maximos nisus noster ut famosum illius Johannis Parvi, qui ducis Aurelianensis cædem licitam fuisse contendebat, opusculum damnaretur ab episcopo, ignique addiceretur.

Constantiensi concilio paulopost congregato, idem Gersonius, quot in tota anteacta vita diversas personas gesserat, totidem, in hoc breviori temporis spatio, una omnes gerendas recipere ac recolligere visus est. Hic enim iterum et emendandæ ecclesiæ, et restituendæ paci, et veris christianæ hierarchiæ principiis confirmandis, denique diluendæ Johannis Parvi sententiæ plurimum laboris impendit; capessivit præterea confutationem Johannis Hussii cujus dogmata in dies per Europam latius propagabantur, cæterisque rebus quæ tunc gestæ fuerunt, curam ita adhibuit, ut haud immerito dixeris eum synodi Constantiensis caput fuisse.

Interea civili bello in Gallia flagrante, Lutetia in potestatem Anglorum et Burgundionum venerat, omnique malorum genere fœdebatur. Tum Gersonius, cum, omni potestate præclusa civibus opitulandi, sibi undique insidiarum tendiculas parari videret, in patriam reverti noluit. Eum ergo, annis sequentibus, viderunt Germani trahentem per urbes infortunia, nec ulla, nisi theologiæ, cujus celebrabat laudes, consolatione fretum.

Biennio post, sedata paululum tempestate (1419), Lugdunum Gallorum, per Helvetiæ montes clam petiit, in Cælestinorum cœnobium sese recepturus. Quanquam vero procul a civilibus turbis, non per desidiam, senectutem egit, patriæ vero haud immemor, nova quotidie in lucem proferebat opuscula, quibus errorum incrementis occurreret, aut non nullos amabat pueros congregare quos docebat elementa fidei. Obiit 12 die mensis julii anno 1429.

Ea, paucis verbis, Gersonii vita fuit, qua vix aliam, pluribus aut gravioribus negotiis impeditam, reperies. Attamen hunc ipsum virum, omnibus iis quibus cæteri ejusdem ævi

hommes commovebantur rebus agitatum, videre est, (quis credat?) solitariis mysticorum studiis prorsus immersum. Nec calamitatibus suis, et satietate honorum, eo usque devenit ut solitas hominum curas aversaretur, vitam contra potiorem duceret in contemplatione peractam. Sunt quibus ita contingit ut, postquam in summo rerum fastigio positi fuere, mox inde dejecti ac deturbati, omniaque his in terris vana esse agnocentes, tum demum generi humano renuntiare incipiant, ut in secessu *Acrius advertant animos ad relligiones*, (A) erectisque oculis lucem aliquam sibi quærant, magnum terrestres inter tenebras solatium. At Gersonius indesinenter, adversa prosperave fortuna, secretis silentiis delectatus fuit. « Advena noster, exclamabat post Constantiense concilium, mediis etiam in turbis et urbibus, solitudinem sibi quæsivit et dilexit [1]. » Quam autem ardenter fratris sui in claustro viventis sortem paulo ante desiderabat! « Frater charissime, ait in epistola, dum cancellarii munere fungeretur, scripta, noli in vanum gratiam accipere quæ data est in te.... Ille qui a puero misertus est tibi, dans tibi cor pium et timoratum, et super alios compatiens, superaddidit misericordiam, ut te repelleret a seculo nequam..... Porro magna est misericordia Dei hæc, quod neminem e parentibus, vel amicis habuisti, qui volens, ut fit, te aliquem magnum esse in seculo, fuerit adversarius propositi tui. Mihi longe aliter est, et fuit assidue [2]. » Adde tot et tam diversis locis temporibusque compositos tractatus de *Theologia Mystica*, *de Illuminatione*, *de Simplificatione*, *de Directione cordis*, *de Monte Contemplationis*, *de Oratione*, *de Canticis Canticorum*, *de Mendicitate spirituali*, etc. Gersonium vere mysticum fuisse, qua ratione posthac dubitare liceret?

Erunt fortasse qui quærent, quo fatorum impulsu, ille vir quem sua indoles piis meditationibus addixerat, rerum

[1] De Consol. Theol. Opp. I, p. 131.

[2] Opp. III, 745.

(A) Lucrèce, De nat. rer., III, 54.

publicarum tractationem, et susceperit, et retinuerit, ea vitæ conditione abdicata, qua intimis animi propensionibus morem facile gessisset. His Gersonius respondebit, nemini licere de statione sua decedere, civibusque afflictis consiliorum manusque opem abnegare, amore quodam improbo privatæ quietis; *speculativum videntem fratris inopias et torpentem a juvamine, deficere a fraterna dilectione, et per consequens a dilectione Dei conjuncta, et tunc non vivere contemplative, quod completur in divina dilectione, sed in curiosa philosophorum speculatione* [1]; non ea, a Christo et Moyse, qui nunc orabant, nunc prædicabant, nunc agebant, exempla data esse[2]; se igitur, postquam in mundum jactatus fuisset, illic vixisse quamdiu potuerit, et continuo decertavisse, ut fratrum necessitatibus occurrendo, officii sui debitum impleret [3]. Sic ea, quæ in Gersonii vita et indole pugnare videbantur, inter se optime cohærent.

Utcumque sit, nostrum constat, eas mysticis in speculationibus ingenii sui regulas servavisse, ad quas, dum inter homines commercia agitaret, rerum veritatem atque pondus exigebat.

Ante eum, multi doctores, inter quos in primis numerandi sunt magister Hugo de Sancto Victore, magister Richardus ejusdem abbatiæ, ac divus Bonaventura, de Theológia mystica scripserant. Eorum profecto subtilitas non contemnenda, conatus non vani fuerunt, nomen cum omni posteritate adæquandum. Quantiscumque vero laudibus, egregias quibus inclaruerunt dotes, aut quæ ediderunt scripta, extollas, præcipue tamen excitandæ pietatis studiosi, non nulla rapiendis in cœlum mentibus idonea, incomposite et negligenter, prout suppeditabat animi instinctus, fundere ac enarrare satis habuerunt, omni alia re neglecta, ita

[1] Opp. IV, 1226.

[2] *Ibid.*

[3] Opp. III, 1123.

ut Theologiam Mysticam in corpus non redegerint, veram ejus naturam parum in lucem protulerint, originem ac fundamenta omnino omiserint [1].

Quid inde consecutum sit, facile conjicitur. Theologia Mystica paucis quidem simplicibus animis accepta fuit, probataque; aliis vero, quicumque in scholastico certamine triti erant, plane displicuit. Quin imo, eam ineptam esse et absonam, non falsam tantum, judicavere, omnemque ejus alumnis fidem abrogarunt [2]. Instituendis enim argumentis solertes, ideoque rationis et methodi amantissimi, nequaquam assentire poterant disciplinis nihil ordinatum, nihil compertum, nihil etiam certe definitum habentibus.

Cum sic se haberet Theologia Mystica, Gersonius citra doctrinam asceticum agere, splendideve de Deo disserere, quasi rerum cœlestium terræ enarrandarum accepisset provinciam, noluit; cum autem altius ejus ingenium, mediis hominum colloquiis, processisset, nec eum magnitudo mali, causæque fugerent, judicavit operæ pretium fore, si omissa supplendo, obscura dilucidando, demonstrando quæ poterant demonstrari, materiam, non facili nimis et abnormi

[1] « Sans doute, au moyen âge, et sous le règne de la théologie chrétienne, le mysticisme était fort naturel à l'esprit humain. Il y en avait toujours eu un peu depuis Scott-Erigène jusqu'au quatorzième siècle. Ainsi, au ~~onzième~~ siècle, saint Bernard et Hugues de Saint-Victor inclinent au mysticisme; au ~~douzième~~, Jean Fidanza, saint Bonaventure, le docteur Séraphique est assurément plus ascétique que pratique.... Mais ce mysticisme avait été indécis et sans caractère systématique. » Cousin, Hist. de la Phil. du XVIII[e] siècle, t. I, p. 379.

[2] « Cognovimus, proh dolor! aliquos quibus omnis doctrina miscens cum speculativa pietatem Fidei reddebatur gravis, molesta, nauseans, et onerosa, ita ut doctores devotos deriderent ut idiotas et vetulas, quales sunt apud tales Gregorius, Bernardus, imo, damnata arrogantia et amentia! Augustinus et ~~Dominus~~ Bonaventura. » Gersonii Opp. IV, 337.

oratione, quod multi ante eum fecerant, sed philosophico, aut si malueris, scholastico more pertractaret.

Ait in prologo *considerationem de Theologia Mystica*: « Conari meditor si ea quæ de contemplatione, extasi, et de excessu mentis, de divisione spiritus et animæ, et similibus, doctores elevati scriptis reliquerunt, poterint ita palam fieri, et quodam modo revelari, ut alii ab expertis, quales rari sunt, possint intelligere, aut saltem fixe credere sanctos illos viros habuisse scientiam longe altiorem a natura communi, quos ad supermentales rapuit excessus divina contemplatio [1]. » Alibi eadem repetit: « Videbit hoc quod dico verum esse, qui forsitan inciderit in tractatulum unum quem de Theologia Mystica, tam speculativa, quam practica, conatus sum ordinare, habens hanc intentionem, deducere ad notitiam familiarem et propriam scholasticorum, ea quæ devoti homines de ea, magis affectiva declamatione et figurativa locutione, quam litteratoria proprietate tradiderunt [2]. » Denique, prope acto vitæ curriculo, cum præteritæ ætatis memoriam recordaretur, aiebat in Sympsalmate super Cantica canticorum: « Nostrum hactenus studium fuit concordare Theologiam hanc Mysticam cum nostra scholastica [3]. »

Hoc clarissimi viri consilium, quod nulli non ponderis momentique maximi esse videbitur, hos de re tam gravi conatus, in ista disputatione enarrare fideliter quantum fieri poterit, collatis undique testimoniis, nobis animo destinatum est. Nihil autem in explanandis scriptorum sententiis, ad veram scientiam proficit, nisi, postquam explanatæ sunt, quid probandum, quid rejiciendum includant, ostendatur. Duas igitur partes opera nostra habebit, quarum una Ger-

[1] Opp. III, 361.

[2] Opp. I, 81.

[3] Opp. IV, 54. Cf. God. Arnoldi Hist. et Descriptio Theol. Myst., p. 25.

sonii de Theologia Mystica doctrinam explicabit, altera, philosophico examine perpendet. Jam nunc rei ipsius in arcem invadamus, omissa longioris procemii prælusione.

I.

Theologia quæ scholastica aut speculativa dicitur, illud proprium habet, ut in ea, per solam rationis vim, investigetur Dei natura. Quidquid a ratione non est inventum aut approbatum, hoc alienum sibi judicat, et ideo, nisi tanquam falsum, saltem tanquam adulterinum procul rejicit. In contrariam vero partem, quidquid a ratione inventum est, aut approbatum, hoc ducit omne suum, hoc civitate, ut ita dicam, gratificatur; uno verbo, quo ratio procedit, eo usque ipsa progreditur, statque hic ubi stetit ratio. Ea theologiæ speculativæ natura est; ii limites sunt.

Quærere an, præter theologiam speculativam, alia quædam sit theologiæ species, nihil aliud est quam quærere an, præter rationem, alia quædam ad Deum via homini pandatur. Theologiæ enim cum finis unus et idem maneat, cognitio scilicet Dei, sola methodorum quibus pervenitur ad Deum, varietate et numero fieri

potest, ut theologia species varias pluresque habere videatur.

De hac autem materia auctores qui mystici nuncupantur omnes consentiunt; omnes, et Gersonius inter primos, non per solam rationis opem Deum cognosci posse asseverant: præter rationem, amorem existere, qui sua, et ipse, vi polleat, suumque secum splendorem trahat; ab eo, tanquam puræ lucis radio, mentem illuminari; postquam autem sic illuminata est, tum ei arcana rerum patere, secretosque ipsius numinis recessus fieri pervios. Eo modo, jam non sola ratio aucupandæ veritatis partes sibi vindicat, verum in istius societatem gloriæ se affectus offerre videtur.

Inde illa quam *Mysticam* dicunt Theologia orta est. Ejus peculiare est, spretis operosæ inquisitionis laboribus, omnia affectui permittere, nihil quærere, nihil disputare; non argumenta argumentis, tanquam Pelio Ossam, giganteo conatu imponere, verum pure ac simpliciter, liberrimis amoris alis, in cœlum advolare. Communicat quidem cum Theologia speculativa paritate finis quem utraque prosequitur; secernitur autem ab ea discrepantia methodi, cum altera cognitio Dei per affectum, altera vero cognitio Dei per amorem, jure ac merito dicatur.

Eam fuisse Gersonii de Theologiæ Mysticæ natura sententiam, verba quæ sequuntur perspicue demonstrant: « Theologiam Mysticam, inquit,

«sic possumus describere : Theologia Mystica est «animi extensio in Deum per amoris desiderium. «— Aliter sic : Theologia Mystica est motio anagogica, hoc est, sursum ductiva in Deum per «amorem fervidum et purum. — Aliter sic : «Theologia Mystica est experimentalis cognitio «habita de Deo per amoris unitivi complexum. «— Aliter sic : Theologia Mystica est sapientia, « id est, sapida notio habita de Deo dum ei supre- « mus apex affectivæ potentiæ rationalis per amo- « rem conjungitur et unitur [1]. » Nihil profecto explicatius esse potest, et quod rem magis extra controversiam ponat. Plura ejusdem generis loca in promptu habemus, quæ præterimus brevitatis causa.

Quidnam autem rei est affectus ille quo Theologia Mystica innititur? Unde originem trahit? Quibus industriis excitandus est? Quomodo nascitur, crescit ultimamque sui progressus metam attingit? Hæc et multa alia quæri aut objici possunt, quæ nulla unquam arte expedies nisi prius humanæ animæ naturam scrutatus fueris [2].

[1] Opp. III, 384. — Theologia Mystica est cognitio experimentalis habita de Deo per conjunctionem affectus spiritualis cum eadem; *ibid*, 396. — Theologia Mystica consistit in affectibus et spiritualibus sentimentis; Opp. I, 20. — Theologia Mystica est experimentalis Dei perceptio; Opp. IV, 342.

[2] « Expedit ad ipsius Theologiæ Mysticæ cognitionem speculativam acquirendam naturam animæ rationalis et

Accuratissime igitur quid anima humana sit, quæ sint illius facultates, qua ratione similes, qua diversæ, Gersonius haud semel, in diversis tractatibus, investigat.

Ac primum sic animam definit : « Anima ra« tionalis est substantia spiritualis, indivisibilis, « libera naturaliter, innitens corpori, ut, ex ea « informante corpus, fiat unum compositum quod « dicitur homo, hoc est, animal rationale mortale [1]. » Aliquis fortasse reprehendet : In loco commemorato de rationali tantum anima Gersonius loquitur : esset igitur non inepta suspicio probatum ei fuisse, vegetalem animalemque præter rationalem existere animam. Respondebimus, re amplius ponderata, non ita nobis videri. Nunquam enim omnino, nisi erraverint legendo oculi, istarum quæ animalis vegetalisque nuncupari solent animarum, mentionem facit *Christianissimus Doctor*.

ejus potentias tam cognitivas quam affectivas cognoscere. Consideratio hæc de se perspicua est, quoniam, ignorata natura, ignorantur ejus passiones. » Ac paulo post : « Volumus adducere in communem intelligentiam, si Deus annuerit, qualis sit hæc Theologia mystica, et in qua vi animæ reponitur, qua ratione comparatur, quo fructu quove fine conquiritur, quod fieri, ignorata animæ natura, nullo pacto potest. » Opp. III, 369. — Triclinium minoris mundi perfecta distinctione cognoscere spectat ad philosophiæ et theologiæ professores, si voluerint naturam proprietatemque contemplationis agnoscere. » Opp. IV, 331.

[1] Opp. III, 107.

Quamvis animam substantia simplicem esse Gersonius censeat, non obliviscitur quam multi et varii sint actus quos producit. Si autem varii sunt, variis eos viribus contineri si quis existimat, non insipienter sentiet. Nostro igitur placet « animam secernere in varias denominationes, « juxta multiplicitatem effectuum ab ipsa eadem « producibilium, ut dicatur talis quia talium eli« citiva est, et altera quia aliorum [1]. »

His ita positis, vires quibus humana anima pollet, partim *cognitivæ*, partim *affectivæ* sunt [2].

Tres reperiuntur cognitivæ vires. *Sensualitas*, *Ratio*, *Intelligentia simplex* [3].

Sensualitas, vel aliter, *vis cognitiva sensualis*, est vis animæ utens in sua operatione organo corporeo, tam exteriori quam interiori, ad ea, quæ sunt sensibilia, per se, vel par accidens, cognoscenda [4]. Plures habet species quæ sunt : sensus exteriores, quibus res deprehendendæ patent; sensus communis, cujus ope sensationes quæ producuntur alias cum aliis conferimus, virtus formativa, virtus æstimativa, ac demum, memoria et imaginatio, quæ specierum, postquam res abscessere, retinendarum provinciam habent [5].

[1] Opp. III, 370.
[2] *Ibid.*, *ibid.*
[3] *Ibid.*, *ibid.*
[4] *Ibid.*, 372.
[5] *Ibid.*, *ibid.* Cf. Opp. IV, 795 et ssq.

Supra Sensibilitatem, Ratio ponenda est; quæ quidem ea vis est animæ, per quam conclusiones propositionum videmus, e sensis ea elicimus, quæ sensu non percipiuntur, denique quidditates rerum abstrahimus, nec tamen, cum hæc aguntur a nobis, ullo organo corporeo egere videmur[1]. Quin talem vim homo sortitus sit, negari aut dubitari non potest. Prorsus enim constat sæpe nos speciebus rerum quæ oblatæ sunt, suam quasi conditionem auferre, et in novos eas convertere conceptus, qui jam nihil sensile habent : unde nobis ratiocinari plane licet, omni remota sensualitatis ope[2].

Præstantissima, inter cognitivas vires, Intelligentia simplex, quæ etiam *Mens* appellatur, habenda est. Illa quidem minime stat, ubi steterunt sensualitas et ratio, notitiisque immoratur, quarum plures incertæ sunt, aut commentitiæ, prima vero principia perspicit, et liquidam veritatem propemodum intuetur, singulari quadam luce,

[1] Opp. III, 371.

[2] *Ibid.*, *ibid.* — Intellectus, postquam inspexerit phantasmata, potest inde species intelligibiles elicere, denudando quodammodo eas a naturali conditione, et in eis effodiens agalma spirituale, hoc est, simulacrum vel conceptum, nunc universalem, nunc specificum; quo facto, intellectus taliter actuatus, jam potest ratiocinari, non inspecto phantasmate; jam syllogisat, discurrit, regulas artium sibi format generales et infallibiles ad exemplar artis primæ. Opp. I, 153. Cf. IV, 800.

divinitus infusa [1]. « Qualis vero sit illa lux, « subjicit Gersonius, dici potest probabiliter, aut « quod est aliqua dispositio connaturalis et con- « creta animæ, quam aliqui vocare videntur ha- « bitum principiorum, vel probabilius quod est « ipsamet animæ existens lux quædam intellec- « tualis naturæ, derivata ab infinita luce intelli- « gentiæ primæ quæ Deus est, de quo Joannes : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem « venientem in hunc mundum [2]. »

Quemadmodum tres cognitivæ, ita tres affectivæ, quæ prioribus respondent atque obediunt, vires offenduntur, scilicet *Appetitus animalis, Appetitus rationalis, Synderesisque* [3].

Per Appetitum animalem Gersonius significat motus omnis generis qui fiunt in homine, si quid sensibus percepit, quod sibi vel bonum, vel malum esse judicet [4]. Illi quidem motus primam

[1] Opp. III, 370, 371.

[2] *Ibid.*, *ibid.* Vide etiam in prima contra vanam curiositatem Lectione (I, 87), locum ubi noster eamdem hanc de cognitivis viribus opinionem, immutatis de more suo verbis, exprimit.

[3] Opp. III, 372. — Conceptiones in utero vel matrice animæ rationalis tot modis possunt multiplicari quoad potentiam appetitivam, quot modis variantur quoad apprehensivam seu cognitivam. Opp. IV, 802. — Conceptiones affectivæ nequeunt fieri sine prævia cognitione vel conjuncta. Opp. IV, 803.

[4] Opp. III, 373. Cf. *Ibid.*, 130.

habent et velut unicam in amore radicem; non enim aliquid odio habetur, nisi quia alicui rei quæ in amore est, contrarium esse apprehenditur [1].

Appetitus rationalis rationi, ut appetitus animalis sensualitati respondet, et ab ea movetur. Itaque cum sequatur cognitionem quæ, nullo corporis et organorum auxilio, comparata est, nullam in corpore et in organis mutationem, cum aliquid appetit, afferre solet [2]. Multis aspectibus considerari potest. Si illum consideraveris respectu actus eliciti, dicitur libertas. Eam Gersonius describit facultatem rationis et voluntatis ad utrumlibet oppositorum [3].

Denique Synderesis, quæ restat, eum tenet inter affectivas locum quem inter cognitivas facultates simplex intelligentia. Quemadmodum enim hæc res fluxas respuit, ac tantum principiis rerum certis et inconcussis mancipatur, ita illa non allicitur bonis hujusce mundi, semper man-

[1] Opp. III, 131.

[2] *Ibid.* 135.

[3] Opp. III, 373; *ibid.*, 108. — « Dictamen rationis exprimitur per verbum indicativi modi, ut quod : *Hoc est faciendum.* Executio per verbum imperativi modi, ut, *Fac hoc.* » *Ibid.*, *ibid.* — « Nec voluntas sine ratione eligeret, nec ratio sine voluntate vellet. Libertas idcirco complectitur utramque vim. » Opp. I, 152. Cf. III, 443; IV, 803. Doctor Angelicus de hac materia plane cum Gersonio sentit. Cf. *Summ. theol.* P. I, Quæst. LXXXIII, art. 3.

cum aliquid habentibus, summum vero bonum appetit, segregatum ab omni vitiosa concretione, sincerum, constans, immotum [1]. Synderesis intelligentiæ simplici obedire solet, illiusque consiliis regi [2].

Anima, his facultatibus prædita, plures actus, sive cognoscat, sive appetat aliquid, exsequitur, quos recenseamus oportet.

Ac primum, aperte constat, cum aliquam rem cognoscere avemus, modo nos in ea observanda parum attentionis afferre, contra autem ad evagationem esse pronos, modo vehementer occupari, animisque intentissimis hærere, modo etiam infixos adeo in eam oculos habere, ut de nobis, vel de cæteris rebus omnino jam non cogitemus, ac ipsius quasi difficultatis immemores, contemplari potius quam quærere atque explorare videamur. Tres illos cognoscendi modos, vel, ut magis congruenter loquar, cognoscentis animi status, Gersonius adnotat, ac proprio nomine decorat, primum *cogitationis*, *meditationis* secundum, tertium autem *contemplationis* vocabulo appellans [3]. Unius cujusque veram paucis verbis expressit naturam. « In cogitatione, inquit, est « evagatio, in meditatione inquisitio, in contem-

1 Opp. III, 373.

2 *Ibid.*, *ibid.*

3 *Ibid.*, 378.

« platione admiratio [1]. » Cæterum inter cognitivas facultates aliæ aliter, pro sua dignitate, se gerunt. Sensualitas, si rem attente consideraveris, cogitationis præcipue capax esse tibi videbitur, meditationisque ratio : verum neutra ad contemplationem sese erigere potest, solaque mens summæ, quam is status requirit, abstractioni idonea esse reperitur [2].

Tres pariter sunt animæ aliquid appetentis actus. 1° *Concupiscentia* vel *libido*, improvida et vaga, sicut cogitationis obtuitus; 2° *Devotio* vel *contritio*, quæ in appetitu rationali est, meditationemque sequitur, eo purior, quod plerumque respicit incorporalia; 3° *Dilectio extatica*, quæ propria est synderesi, motuque suo, sursum ducente, expeditam et puram contemplationis libertatem refert. [3].

Quæ sit natura animæ, quot et qualibus polleat facultatibus, quomodo sese habeat, sive cognoscat aliquid, sive agat, perpensum spectatumque nobis est; nihil ergo facilius quam perspicere qua potissimum parte suam sedem et causam Theologia Mystica habeat. Quid enim Theologia Mystica est ? Extensio animæ in Deum per amo-

[1] *Ibid.*, *ibid.* Cf. Tract. de Meditatione, Opp. III. 446 et ssq.

[2] *Ibid.*, 381, 382.

[3] *Ibid.*, 383.

ris desiderium. Quid autem illud est quod in homine amoris et desiderii capax est? Nulla profecto e viribus quæ nuncupantur cognitivæ, non sensualitas, non ratio, non mens; appetitivæ tantum facultates apud nos et amant, et cupiunt. Illud igitur statuendum est Theologiam Mysticam aliqua ex appetitivis facultatibus inniti. Cum autem Deus sit, quo majus aliquid excogitari non potest [1], nec animalis, nec etiam rationalis appetitus, qui circa res creatas versantur, tantum valebunt, ut hominem ad Deum evehant; ita ut nequaquam Theologiæ Mysticæ locus esset, si nihil præterea in mente humana reperiretur. Superest vero synderesis, enatatque per eam Christianissimus Doctor. Præpotentem ipsam vim esse putat, qua Theologia Mystica vere et solide fundatur. Hæc cæterarum facultatum opem non respuit, et innititur præsertim synderesi, quæ animam ante thronum Dei effert, actus illius, qui dilectio extatica nominatus est, beneficio [2].

Nunc scire interest quibus viis, expergefacta, ut ita dicam, synderesi, dilectio produci in corde hominis, productaque adolescere possit.

Nonnunquam exsurgit, vi quadam supera ac cœlesti, ipso afflante Deo, Deive angelis auxiliantibus. « Multi sunt tractus Dei amorosi, ait

[1] *Ibid.*, 107.

[2] *Ibid.*, 383. Cf. IV, 50.

« Gersonius, quales vocabat anima sancta in « Cantico : Trahe me, inquit, post te curremus in « odorem unguentorum tuorum [1]. » Ac paulo post in eodem libro : « Passiones spirituales ab angelo « Dei bono frequenter immitti credendum est[2]. »

At sæpius oportet ut, quas accepit leges, anima stricte et fideliter custodiat. Novimus autem iis inter se vinculis affectivas cognitivasque facultates conjungi, ut affectus cognitionem sequatur. Quæ cum ita sint, præcipue ac singulariter necesse est, si rapi in cœlum velis, Deum tibi tanquam summe bonum effingas et repræsentes [3]. Duobus modis illud fieri potest, primo per abstrahentis intellectus laborem, secundo per fidem [4].

[1] Opp. III, 137. Cf. *Ibid.*, 425.

[2] Opp. III, 137.

[3] « Oportet nos hic eorum meminisse quæ de quidditate Mysticæ Theologiæ tractavimus. Posuimus itaque Mysticam Theologiam esse amorem extaticum qui consequitur ad intelligentiam puram ipsius spiritus, quæ intelligentia caret utique nubibus phantasmatum; propterea, necesse est eum qui vult Theologiæ Mysticæ se tradere, conari ad hanc intelligentiam puram; alioquin amorem inde sequentem qua ratione compararet? » Opp. III, 420. — « Amor dirigitur a cognitione in prima sui generatione. » *Ibid.*, 40. — « Voluntas non fertur libere nisi præmoneatur objectaliter et cognitivi per intellectum sub ratione boni vel mali. » IV, 29. — « Amor vel affectio animalis, rationalis, et intellectualis non causatur sine cognitione prævia, comite et consequente. » IV, 305.

[4] « Restringetur autem sermo noster ad duos modos qui-

Ponite vobis ante oculos aliquem artis Phidiacæ peritum, dum marmoream æneamve molem, unde eruendum est agalma, cælat et effingit; nihil quidem addit, omnem vero inanitatem amputat, donec opus suum absolverit. Haud aliter cum de Deo agitur, rem aggredi fas est. Negate eum coloratum esse, sapidum, frigidum, mendacem, mutabilem, injustum, improbum; quidquid res corporeas redolet, quidquid mancum et vitiosum esse videtur, more statuarii resecate, circumcidite, abstrahite; efficietur, detractione ista, excellens quædam splendidaque effigies summi illius quod quærimus boni. Postquam autem fabricata fuit fabricatamque introspicere et admirari jam licet, tum anima, intemerata ejus pulchritudine perculsa, id quod videt amare satagit. Vim igitur cognitivam, perinde ac sinistrum pedem, in conceptu formato figit, simulque pedem alterum, voluntatem scilicet, protendere enititur, donec amorem suum expleverit [1]. Sic conflatur ista motio anagogica in Deum, qua Theologiam Mysticam reponi diximus.

Fatendum est illam methodum, plana quantumvis esse videatur, pluribus difficultatum dumetis

bus potest per abnegationem et oblationem cognosci Deus; unus est fidelis simplex devotio, alius est philosophica vel theologica intelligentiæ depuratio. » IV, 347; *ibid.*, 336.

[1] Opp. III, 420, 421; *ibid.*, 459, 460. Cf. IV, 345 et 347.

horrere, ita ut, cuique per eam eunti, multa exercitatione, multisque conatibus opus sit, ac ideo in philosophos melius quadret quam in commune hominum vulgus. Insuper, investigantem abstrahentemque intellectum plerumque comitatur superbia : superbiæ autem fastu nihil a Theologia Mystica magis aversum est. Idcirco Gersonius, etsi priorem hunc recolligendæ in Deum animæ modum probet, alterum multo magis laudandum esse et anteponendum arbitratur [1].

Quiquid ergo religio christiana de Deo narrat, anima ingenue et simpliciter credat, omni neglecta rerum indagatione. Christiana religio magnifice de Deo sentit, quod pulchrius sit, sublimiusque aliquid nusquam reperias; habebis igitur, cum credideris, dignissimam quæ apud te dilectionem provocet, notitiam. Præterea notitia illa, ut acquiratur, nihil expostulat, quod ullius capacitatem superet. Denique, non modo nullum arrogantiæ locum dare, verum potius humilitatem in corde hominis fovere fides solet. Prorsus ergo optima ista via est. Unde Gersonius : « Stat simplices idiotas, per fidem, spem et charitatem, « citius et sublimius pervenire ad Theologiam « Mysticam, quam eruditos in theologia scholastica et discursiva [2]. »

[1] « Cognitio Dei quæ est per Theologiam Mysticam melius acquiritur per pœnitentem affectum quam per investigantem intellectum. » III, 383 ; *ibid.*, 545 ; IV, 347.

[2] Opp. III, 426.

Cæterum, quo sis ad credendum amandumque alacrior, non nulla tibi sunt aut cavenda aut adhibenda. Vanas effuge occupationes; assume longanimitatem; adverte origines passionum, unde eas facilius eradices; locum et tempus, ubi tecum colloquaris, elige, quæ religionem inspirent; moderanter indulge cibo et somno, piis meditationibus piisque lectionibus insiste [1]. Postremo corporis similitudinibus uti potes, quasi quibusdam scalis, per quas facilius in cœlum evcharis. Potes, exempli causa, Deum tibi tanquam ignotum patrem repræsentare. Excogita enim puerum, ratione utentem, qui parentes suos nunquam omnino viderit; cui si quis dixerit: Patrem, carissime, in regione longinqua habes, bonitate ac potentia insignem; hic te genuit, hic infantem suscepit et aluit, hic indigum omni auxilio quotidie muneribus instruit et ornat; o quantum ille puer excellentem illum parentem adamabit! ut singulari eum pietate prosequetur! ut in ejus dilectionem inhiare, suspirare, totum se convertere incipiet! Quid autem obstat quominus eadem apud te fiant, comprehenso tanquam ignoto patre Deo, commoverique, ut iste puer, incipias, grates persolvere, ardere, suspirare? Nihil profecto obstat; ex quo jam intelligitur concitandis apud animam amoris motibus, non parum facilitatis

[1] *Ibid.*, 406, 410, 411, 412, 416, 417. Cf. Tract. de Monte Contempl., 541, 579.

ea arte afferri [1]. — Non nulla præterimus, quæ minoris pretii sunt.

Postquam dilectio Dei producta est, productaque adolevit, tum plura in corde humano aguntur quæ suum Theologiæ Mysticæ quasi complementum præbent. « Amor, inquit, Gersonius, rapit, unit, satisfacit. Primo quidem rapit ad amatum, et inde extasim facit : secundo, amor jungit cum amato et quasi unum efficit. Tertio, amor sibi sufficit, nec aliud præter amare quærit [2]. » Ac primum raptus, si in genere consideretur, describi potest elatio alicujus e potentiis animæ supra inferiores potentias, quæ jam tum aut conquiescunt, aut minori alacritate agunt [3]. Quamdam hujusce generis elationem nonnunquam fieri e pluribus argumentis factisque constat; sufficiat ad probationem rei Archimedis exemplum afferre, quem adeo in geometria in-

[1] III, 461, 462. Paulo infra Gersonius commemorat quibus ipse disciplinis in domo patria institutis fuisset : «Vivit, exclamat, vivit ille, cui adhuc puero suadebant pii parentes, ut si poma, si nuces, vel cætera talia habere vellet, genuflecteret, et illa a Domino Deo elevatis peteret manibus. At vero puero ita facienti projiciebantur hæc ab alto loco, ut puta, a camino, vel solario, applaudentibus quasi et congaudentibus puero ipsis parentibus, et dicentibus : Vides, dilecte fili, quam bonum est orare Dominum Deum qui talia confert orantibus. » *Ibid.*, 463.

[2]. *Ibid.*, 390. Cf. IV, 51.

[3] Opp. III, 391.

tentum fuisse tradunt, ut cessante propemodum sensuum operatione, captas à Romanis Syracusas non senserit [1]. Quæ cum ita sint, animam ab amore rapi posse quis neget, præsertim quum propria amoris virtus attenditur, qui quidem fertur in Deum tanquam pondus in centrum aliquod, et ea quibus inest, cæteris in ditionem suam redactis, secum trahere gaudet? Concitata ergo Dei dilectione, inferiores animæ facultates suo jure et mancipio quasi spoliabuntur, pars superior ab omni impedimento expedita, sursum sponte emicabit, extasisque fiet [2].

Mox unio amantis cum amato sequetur. Qualis autem dicenda sit, magna inter auctores mysticos lis est. Scriptor non parum illis temporibus celebris, Ruysbroeck nomine [3], imaginabatur quod « anima tunc desinit esse in sua existentia

[1] *Ibid.*, 392, 565.

[2] *Ibid.*, 391, 392. — « Hoc perfectum amoris pondus, si non potius levitas dicenda est, emergere facit spiritum a turba fluctuantium phantasmatum et exundantium desideriorum carnalium tetra caligine, ut superas liber evadat in auras, ut feratur super aquas cogitationum vagantium et instabilium somnioque similium, ut eruatur de tenebris et umbra noctis, ubi prius erat vinctus, in mendicitate et ferro malæ consuetudinis et fomitis originalis. » III, 1241.

[3] Anno 1381 vita functus. Præcipui ejus tractatus sunt : 1° *Summa vitæ spiritualis*; 2° *Speculum salutis æternæ*; 3° *Commentaria in tabernaculum Mósis*; 4° *de Nuptiis spiritualibus*. Omnia ejus opera edita sunt Coloniæ Agrippinæ, 1609, in-4°.

« quam prius habuit in proprio genere, et convertitur seu transformatur et absorbetur in « esse divinum, et illud esse ideale defluit quod « habuit ab æterno in essentia divina » haud secus ac, subjiciebat, gutta quæ in mare delapsa est, maris naturam induit [1]. Sententiam illius quæ, et nova esse, et a sensu communi nimis abhorrere videbatur, sæpe noster, ut depugnaret, in medium attulit [2]. Quid vero in hac parte ipse decreverit, luculentissime pluribus locis asseruit. Vult animam hominis conjungi cum Deo per assimilationem; eam enim, postquam a secundo amoris flatu refecta est, intus quasi expurgari, fierique omnino, ut ita dicam, spiritualem, depositis mundanæ fecis sordibus; spiritualia autem cum spiritualibus quamdam similitudinem gerere; inde effici ut anima Deo qui spiritus est, simillima evadat, et propter istam naturæ communionem, dicatur ei conjungi [3]. Salvatur ita, vel in *mentali* exaltatione, individua hominis vita. Nam, ut Gersonii verba usurpem, « assimilatio « non tollit, sed perficit creaturam [4]. »

Interea, post multas ambages, ultimam tandem contingimus metam. Amor enim, dum fer-

[1] *Epistola J. Gersonii ad fratrem Bartholomæum cartusiensem super librum J. Ruysbroeck de Ornatu Spirit. Nupt.*, Opp. I, 60 et ssq.

[2] *Ibid., ibid.*; III, 394, 395.

[3] *Ibid., ibid.*

[4] Opp. I, 79.

vet ista unio, de qua loquimur, subintrat tenebras ubi posuit Deus latibulum suum, secretique apud animam fiunt motus, quibus illi cœlestia innotescunt[1]. Unde Christianissimus Doctor ait: « Theologia Mystica innititur ad suî doctrinam experientiis habitis ad intra, in cordibus animarum devotarum[2]. Mystica hæc est contemplatio quæ in affectu reponitur non in intellectu[3]. Comparata quidem cognitio, ut pote quæ in via habetur, non in patria, obliqua est, non recta, maligna, non clara[4]. Quemadmodum in excelso montis vertice, si tempus nubilaverit, paucos tantum solis radios, per nubium intervalla circumspicimus, ita mens splendorem divinum non

[1] IV, 40.

[2] III, 365.

[3] Opp. I, 62; III, 547.

[4] « Fit denique collustratio spiritus, non sine quadam interpositione, qualem suo modo sentit oculus, pelliculis palpebrarum tenuibus interpositis ad radios solis nitidissimos incedentes super oculos. Videt itaque solem oculus in suo lumine, sed quid sit non datur inspici, medio prohibente. » IV, 286. — « Experimentalis Dei cognitio terminatur in caliginem, sed prius deserit aliam caliginem. Caligo quæ deseritur est omnis creatura, quæ de se non nisi caligo est. » IV, 343. — « Experimentalis Dei cognitio, quia non terminatur in Deum clare et nude visum, sistitur in caligine quadam supra se, deserendo primam caliginem creaturarum post se....... Ratio quia, nec mens habet oculum, qui sit natus hic videre Deum, nec Deus objicit directe et immediate seipsum. » IV, 343.

nisi per caliginem, videt[1]. Videt tamen, nihilque ea visione pulchrius, nihil sublimius his in terris assequi potest.

Tum inenarrabile gaudium carpit; tum quietatur, satiatur, stabilitur, omni deposita rerum humanarum sollicitudine; copulatur enim summo quod appetebat bono, et quod optet, jam nihil est[2].

Aliquis reprehendet : admirabilia profecto loqueris, et quæ, si vera sunt, Theologiam Mysticam veram demum sapientiam esse efficiunt; at, precor, quidnam argumenti est, rem ita ut dicis, sese habere? Quod respondeat certum habet Gersonius. Facta de quibus agitur affectus sunt cujusdam generis, qui quidem, velut cæteri omnes affectus, interiori sensu percipiuntur, at nullo modo demonstrari possunt. Ea ipse aut perce-

[1] IV, 344.

[2] «Tum anima quietatur, satiatur, stabilitur. Copulatur suo summo bono.... possidens in eo omnia.» III, 396.—« In statu isto, anima devota ardet dulciter, suaviter atque pure, spirituali igne succensa, recte ut carbo clarus et totus ignitus, sine fumo et sine crepitatione, aut sine tumultu. Ibi est anima totaliter radicata in terra optima, multum fructum afferens.» III, *de Monte Contemplationis*, c. 33. Hæc autem facies Dei plena gratiarum, quæ est sol justitiæ, nulla ratione videri potest sine delectatione, quia dulce lumen, et delectabile oculis est videre solem. Tunc sentitur virtus et veritas illius verbi : *Spiritus meus super dulcis*. Ineffabiliter delectamur dum fit ineffabilis summe convenientis conjunctio.... III, 1242. X mel

pisti aut impercepta habes. Quod si ea perceperis, veritas dictorum tibi hoc ipso agnoscenda, sin contra, nihil aliud tibi restat quam ut sanctis viris qui feliciores quam tu fuerunt, fidem adhibeas. «Quibus, ait Gersonius, in nullo credere, attendite, precor, quam incivile, quam dyscolum, quam impium. Eos enim fallere velle cæteros, nullo pacto suspicari patitur eorum veracissima sanctissimaque probitas, nulli lucro, nullique honori inhians, nec odio, nec alia passione laborans; falli autem eos posse in experientia taliter certa, qualiter prædiximus, quis putaret [1]? »

Suum Theologia Mystica accepit complementum. Quemadmodum unde veniat, et qua via procedat, ita quo eat, et quem exitum habeat, jam nunc plane liquet. Quibus eam laudibus Gersonius extulerit, theologiæ speculativæ detrimento, breviter, antequam finis expositioni imponatur, dicendum.

1. Facilis admodum est, perducitque ad Deum via plana, communi, regia, sine periculis, sine difficultatibus, sine offendiculis. Scholasticæ enim eruditionis adminiculo, etsi nonnunquam bene utatur, attamen minime indiget, et, præter mentis simplicitatem, nihil requirit. Inde evenit ut sublimitas ipsius non impediat quominus ha-

[1] III, 367.

beri possit a quolibet fideli, etiamsi sit muliercula vel idiota. « De Theologia vero speculativa, subjicit noster, aliter esse nullus ambigit, ad cujus adeptionem grammatica, logica et philosophica disciplina, cum forti exercitio, etiam clara ingenia requiruntur [1]. »

2. Theologia speculativa, nisi adfuerit sincerrimus Dei amor, semper mancum aliquid habet, ita ut ad suî perfectionem Theologiæ Mysticæ quæ in amore est, auxiliis omnino egeat. Hæc autem sibi ipsa sufficit, propriisque viribus innixa tute ac secure graditur [2].

3. Theologia speculativa servire potest vitiis. Sæpissime enim languet circa quæstiones et pugnas verborum inutiles, ut Apostolus ait, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum. Theologia vero Mystica nihil tale secum trahit. Patiens est, benigna, non æmulans, non ambitiosa, nisi forte aliquis existimet, vitiis, non virtutibus, discordiarum irritamentis, non concordiæ pabulum per pietatem præberi.

4. Qui Theologiam Mysticam assecutus est, ille jam tum in Deo habitat, et a mari turbido sensualium desideriorum ad littus solidum æternitatis adducitur. Sin vero speculativæ Theologiæ studueris, acuet potius anxietatem animi

[1] III, 386.

[2] III, 386.

quam sedabit : primo enim investigatio veri impatiens quædam et irrequieta fames est ; deinde illud habet mera cognitio proprium, ut rem cognitam menti, non rei cognitæ mentem assimilare laboret : ex quo efficitur unumquemque per eam intra semetipsum et inextricabiles cupiditatum laqueos miserrime retineri, non sursum ferri in stabilem cælestis patriæ portum [1].

Ea vere est, nisi fallor, doctrina Gersonii de Theologia Mystica; nihil enim prudens, aut addidi, aut detraxi.

Doctrinam autem istam qua potissimum eminere indole dicemus? Utrum recte judicem annon, nescio; at mea sententia, illud singulare inprimis apud eam offenditur, quod suum in psychologia fundamentum habeat.

Rem enim paulo attentius consideranti, quam diligens est Gersonius in exploranda animæ natura! Ut varias illius facultates accurate recenset, suum cuique munus tribuens! Ut reconditiores latebras rimatur, nihilque omittit, sedulus adeo singulorum perscrutator, ut philosophum historiam humanæ mentis describentem, non tantum theologum de Deo cognoscendo meditantem agnoscas! Quid autem aliud quærit quam *minimum quid inconcussum*, quo omnis rerum divinarum scientia, quasi certo fundamento, nita-

[1] III. 388, 389.

tur, hanc autem dico facultatem, quæ sic amoris lucisque capax esse videatur, ut operosa Theologiæ Mysticæ moles tota in ea fundari possit? Unde quidem vidimus scrutandæ veritatis methodum, postquam inventa est, quasi plena luce manifestari. Quod si autem longam philosophorum seriem lustraveris, vix unum aut alterum reperies, qui eam quæstionem, et audacius instituerit, et rectius fuerit exsecutus.

Nunc autem, quod ad incepti talis gravitatem attinet, rem a Gersonio tentatam fuisse arbitramur quæ summi ponderis est, et latissime patet. Omnes disciplinæ communem veritatis suæ mensuram in humana mente habent, mentis humanæ captui et legibus si consentiant, accipiendæ, si adversentur, repudiandæ. Quæ cum ita sint, disciplina quacumque proposita, nihil magis refert quam inquirere, an consentanea sit naturæ hominis; donec enim illud expeditum sit, omnis disputatio sterilis manet. Quid vero de Theologia Mystica putandum est, quæ non modo ea conditione tenetur, qua cæteræ omnes disciplinæ, verum etiam intimis animi motibus inniti gloriatur? Nisi animæ constitutionem exploraveris, qua arte aliquid stabile et firmum desiderantem feliciter tractabis? Sin contra, explorata animæ natura, inveneris principium quo opus est, nihil jam desideras; nodum enim tenes, quo reciso, proposita quæstio solvatur. Sufficiat hæc pauca tetigisse; quan-

quam paululum brevia sunt, perspicue demonstrant Doctorem Christianissimum, magnis laudibus esse efferendum, eo ipso quod Theologiam Mysticam psychologiæ adminiculis confirmandam et intellexerit et susceperit.

Utrum vero prospere an secus inceptum perfecerit, altera parte videbimus.

II.

Omnis controversia inter Mysticam Speculativamque Theologiam in eo ponitur, utrum per solam affectus vim divina homo assequi valeat, an insuper aliqua rationis investigatio necessaria sit. Quod si homo per solam affectus vim divina valet assequi, bene habet, et obtinuit Theologia Mystica causam; multum autem claudicat, si contemptæ ab ea rationis aliquam investigationem necessariam esse deprehenderis.

Quæ cum ita sint, patet Theologiam Mysticam eo tantum die omnibus numeris absolvendam esse, quo patroni illius non modo ostenderint, et animam capacem esse amoris, et amorem mira ac varia vi pollere, verum etiam rationis auxilia nullatenus desiderari demonstraverint.

Illud autem Gersonius explicare studuit, hominem eximia esse præditum facultate quæ summum bonum, aut si malueris, quæ Deum appetit et summopere diligere valet; tum mentem, dilectionis illius beneficio, et sursum ferri, et suam

obtinere quietem, e sanctorum, ut ait, virorum testimonio, paulo forsan inconsideratius, collegit; synderesim vero in amorem erumpere, amoremque suo munere feliciter fungi, detracta rationis operatione, neutiquam probavit, ita ut aliquid concluserit quod e præmissis non efficiebatur, cum asseruit, præter Theologiam Speculativam, alterum esse Dei cognoscendi modum, alterumque Theologiæ genus, cujus proprium est affectum sequi.

Sed hæc prave deducta sint, esto, dummodo error insuper non accedat, nec per totum philosophiæ mysticæ curriculum, ratio nequicquam exclusa, quasi quoddam necessarium labantis humani ingenii fulcrum, occurrat, quæ obdormiscentem affectum excitet, debilem roboret, errantem in rectum deducat, aut aucupantem vera, si aucupatur unquam, confirmet. Sublata autem ratione, per se languet affectus et emoritur.

Ac primum facile concedimus ferventem illum Dei amorem, quo duce et magistro, omnia fieri dicuntur, posse apud animam nasci; nam si negaremus, cum Deum nihil aliud esse constet quam mera ipsius boni substantia, negaremus etiam amari bonum posse, quod profecto, quam absurdum sit, nemo non videt. At quando nascetur amor, nisi postquam id, quod amandum est, nobis cognitum fuerit? *Ignoti*, ut ait poeta, *nulla cupido*. Nec illa Dei cognitio quæ requiritur,

talis qualis esse potest. Etenim, exempli causa, si Deum tibi repræsentaveris tanquam regem rigidum ac severum, ultionisque cupidum, nunc minas jactantem, nunc supplicia, metues ac reformidabis potius quam amabis. Ratio igitur intercedat oportet, delectumque sperandis rebus atque timendis adhibeat, unde existat notitia Dei quæ ejus numen amabile faciat. Nec quisquam objiciat rationis officium prorsus inutile esse; piis mentibus patere christianæ religionis thesauros, qui nulli non inopiæ sufficiunt; excusatio ista non valet. Procul absit christianam religionem parum generose et magnifice de Deo sentire contendamus: sublimitatem vero doctrinæ et sanctitatem quantamcumque possidere videatur, et reipsa possideat, num excelsa illa dogmata, quæ communi hominum venerationi affert, nullo intellectus labore exploranda sunt, ut pietas et nascatur et invalescat? Annon potius acri studio quotidie excogitanda? Pone ea, aut nunquam, aut longis tantum intervallis, ignave et indiligenter, a te excogitari; qui fieri poterit ut commoveant animum, et Dei amantem efficiant? Quorsum præterea conciones ad populum spectant? Quorsum publicæ privatæve lectiones? Nonne ad excitandos affectus ignes per illuminationem mentis? Adeo inter omnes communi sententia constat, nihil per se amorem posse, ne nasci quidem.

Incepit Synderesis animum occupare divinique

amoris æstu incendere. Tum fit extasis, unioque arctissima quædam cum Deo ; tum rerum cœlestium perceptio singularis habetur. Optime, etsi nullo id argumento confirmetur, etsi quoque extasim statum esse innaturalem, morbidum, febriculosum objici possit. At quid inde ? Num ideo omnia consummata sunt, rationisque tutela facile carebimus ? Imo nunquam magis necessaria fuit. Quotidiano usu ostenditur quam multiplices et variæ, aut etiam quam contrariæ imagines virum extatico more meditantem distrahant. Quemadmodum irrequieto mari concurrere fluctus videntur et sese adversi frangere, haud secus præcipites ruunt et inter se pugnant, alia impellente aliam, ita ut nihil usquam turbatius possit existere. Adde ineptiarum omnigenum deliramenta; nihil est enim tam insulsum aut tam fœdum, ipso teste Gersonio [1], ut per animum contemplantis non incurrat. E tali cogitationum tumultu qua via evadere licet? Quibus auxiliis verum cognoscere? Una salus restat ad rationem illam toties accusatam et contemptam confugere, quæ, prudens dominatrix, turbidos motus sedabit triticumque a palea sejunget. Insuper, ea qua visa sunt aut visa fuisse putantur, plerumque placet in lucem proferre, cæterisque hominibus communicare; omnes enim ad id natura impellimur, ut si quid boni a nobis recte inventum

[1] Opp. III, 245.

esse judicamus, id velimus publici juris fieri. Hic vero iterum rationis opem e necessitate adhibendam esse perspicue liquet. Nam 1° priusquam quemquam compelles, illud de quo locuturus es, percalleas oportet, nec percallebis nisi intento animo diu excogitaveris; 2° a methodi usu quantumvis abhorreas, tamen oratio tua omnino immeditata esse non debet, sed ante in certum aliquod corpus, apta membrorum compositione, est redigenda; 3° verborum regulæ, quæ in omni occasione, præsertim in re tam subtili diligenter observandæ sunt, ne, mutata syllaba, gravissimos in errores legentium animi inducantur. Quis vero ad affectum, non ad rationem, hæc tria attinere dicet? Denique quum prodierunt in publicum scripta quædam mystica, plurimum scire interest utrum probanda sint an rejicienda. Quæstio itaque instituitur. Animadvertit judex auctorum ætatem, sexum, conditionem, qua facultate ingenii, qua integritate morum polleant, quid sibi, animi visa enarrando, proposuerint : tum ipsæ expenduntur sententiæ, cujus sint ponderis, an abhorreant a communi hominum sensu, an etiam aliqua parte nocere possint. In hac autem quæstione ratio sola affectum quasi ante se reum interrogat, sola excutit, sola litem dijudicat; sola regina est.

Ac attendite, quæso, quam temerarium sit rationem deprimere, extollere affectum, tum quum affectum ratione dirigi maxime oportet. Dociles

præceptis discipuli, rariores utinam, reperientur, qui sibi, quantum fieri poterit, consentientes, examinandi atque investigandi laborem assuetudine desidiæ abjicient, secretisque tantum animæ motibus indulgere, eam demum veram esse sapientiam arbitrabuntur. Inde, cæco impetu huc illud abrepti, in errores portentosos proruent. Nequicquam delirantium somnia reprehendes et confutare eniteris. Quod si argumenta attuleris, intimas affectus monitiones objicient. Quod si disciplinarum quas jactitant insaniam et impietatem criminaveris, criminis vim non assequentur, se ita vidisse, ita sensisse dictitantes; adeo morbus medicinam non habet qui non agnoscit, qui se ipse conficit, dum nihil extra se boni aut sani esse judicat. Noli autem pervicacibus succensere et indignari. Quid enim mirum esse putes quod dictis tuis atque hortationibus non obtemperent? E solius rationis auctoritate desipientes insectaris; rationis vero auctoritatem detrectare, te magistro, didicerunt.

Horum pleraque Gersonio accepta fuisse non diffitemur. Cognitivis viribus affectivas vires parere agnovit, amoremque sine cognitione prævia stare non posse pluribus locis asseruit [1], pias lectiones piasque meditationes, affectuum, ut ait, generativas, summopere laudavit [2]; dixit: « Amor

[1] Vide Dissertationis hujusce, p. 20 et 25.

[2] Opp. III, 417.

si quidem etiam Dei, si non fuerit ordinatus, si fuerit zelus Dei fervidus, sed non secundum scientiam, multiplicem sæpius perniciem operatur [1]; » dixit : « Devotio sola non sufficit ad explicationem suî alienis insinuandam, cum amplius in experimentali sensu vel affectu quam in ratiocinativo intellectu consistat. Sunt idcirco mali devoti simplices illi qui juxta suas affectiones tradere satagunt aliis regulas et leges ex scripturis sacris. Hinc fatuæ revelationes, hinc superstitiosæ affectiones prodierunt [2]; » dixit : « Mihi dies non sufficeret si numerare vellem innumeras tales insanias amantium, imo amentium, quia non secundum scientiam, quales videntur fuisse Begardi et Begardæ [3]; » scripsit libros *de Examinatione Doc-*

[1] Opp. IV, 53.

[2] Opp. IV, 339.

[3] Parvo lumine intellectus et parva instructione in studio litterarum etiam sæcularium, quandoque præsertim in logica, prolabuntur aliquando in errores periculosissimos illi qui magnorum sunt erga virtutes affectuum, quales Apostolus notavit habere zelum, sed non secundum scientiam, adeo ut si non humiliter sapiant, et nisi se contrahant infra metas suæ cognitionis, nulli pertinacius inveniuntur neque absurdius errores confingere. Propterea non leviter oportet eos scribere vel docere, sed nec absque cautela magna adhærendum est eis, nisi prævia discussione diligenti, et doctorum examinatione.... Addo nunc id quod venit tempore meo de quadam quæ prophetissa et miraculorum operatrix reputata est a multis, quam et vidi et allocutus sum : hæc tandem dixit et scribi jussit, quod spiritus suus, Deum contem-

trinarum, de Probatione Spirituum, de Distinctione verarum Visionum a falsis, qui omnes argumentis scatent, et non scatere nequibant. Verum enim vero, si ratio ubique præsentissima deprehenditur, quid sibi vult illa spes ac promissio novam quamdam Theologiæ speciem condendi quæ se Mysticam, non Speculativam esse profiteatur?

Asserenti igitur Gersonio Deum per affectum cognosci posse minime assentior; credo illius doctrinæ falsum aliquid, et, ut ita dicam, ὕπουλον subesse quod imprudentibus æmulorum ejus animis venenum insinuet serius ociusve erupturum; idemque valere puto de omnibus disciplinis quæ rationem e medio tollere tentarent.

Attamen quam longissime potest præteriti temporis spatium respici, inde usque ad nostram ætatem lustratis seculis, Theologiam Mysticam videmus, etsi forma variam, re tamen unam, plurimis constanter, et illis quidem non pœnitendis, assectatoribus amplificatam, quorum indefessa alacritate, ex omnibus damnis sese iterum erigere et attollere potuit. Quo autem modo prosperis ita fatis usa esset, si vanis tantummodo opinionum commentis, qualia una dies proferre

plando, fuerat annihilatus vera annihilatione, et hinc recreatus; et dum quæreretur qualiter hoc scire potuerat, respondebat se expertam. Dies mihi non sufficeret, si numerare vellem innumeras tales insanias amantium, imo amentium, quia non secundum scientiam, quales videntur fuisse Begardi et Begardæ. » Opp. I, 81, 82.

ac delere solet, conflaretur? Veritate sola alliciuntur ad credendum animi; qui si Mysticam Theologiam probaverunt, eam aliqua parte vero consentaneam esse necessarium est. Sed qua tandem parte? In opellæ nostræ fine paucis verbis exsequendum.

Principio rerum, quum multas a natura dotes homo acceperit, tum rationem sortitus est, quæ, cæterarum facultatum actione aliorsum detorta, veritati investigandæ et percipiendæ destinata esset. Itaque, sive naturæ arcana introspicere velimus, sive perscrutemur immensam numinis altitudinem, hac tenemur conditione, ut ejus vestigiis insistamus. Ubi inermes jam non regit et moderatur, omnis ad res propositas aditus circumclauditur.

Quæ cum ita posita sint, nemo arbitrabitur nos nimis parum auctoritatis rationi concedere. Eam tamen, ut plurimum posse putamus, ita non omnia posse putamus, nec solam inter animi intellectum et veritatem intervenire.

Quemadmodum enim cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, aut vidimus, aut legimus, eum a quo illud factum est, non modo bene egisse pronuntiamus, verum etiam interiori quadam benevolentia prosequimur, haud secus, quotiescumque magnifice quædam cogitata, de iis præsertim quæ ad Deum magis spectant, mentem occupaverunt, nonne tangimur, commovemur, rapimur, amore quo-

dam intellectæ veritatis intus animos stimulante. Nec autem magis rationis est amare, quam affectus cognoscere. Veritatem ergo quam intuemur per rationem, per affectum a nobis amari fatendum est. Amor autem iste quanti momenti sit ac pretii quis non videt?

Illud primum efficit, ut contaminatum vitiorum labe animum expurget, majoremque morum sanctitatem homini infundat; unde investigatio philosophica, jam non otiosa sterilisque mentis occupatio est, verum etiam salutare exercitium, quo vita emendatur. Considerate enim quam artis inter se vinculis verum bonumque consocientur. Bonum, quid aliud esse dicendum est, nisi verum, verum autem, quid aliud nisi bonum? Quis ea jure dividet? aut etiam, quis jure dividi posse existimabit? Verum igitur qui amat, is bonum amat, et ad virtutem informatione quadam fingitur. Quin imo? Est in ipso veri amore aliquid quod rerum terrestrium satietatem faciat, et fracto cupiditatum impetu, liberiori et quasi divino quodam afflatu mentem erigere, et alacriorem ad omnes bonas artes reddere videatur. Hinc scilicet religiosa illa philosophiæ observantia, qua claros viros, magnorum philosophorum vel interpretes, vel æmulos, uti accipimus, cum ad sacra cœlestis disciplinæ mysteria accedunt [1].

[1] Inter multa exempla, unum citabimus. Aiebat Ficinus: « Ad sacram Parmenidis lectionem quisquis accedet, prius

Præterquam quod veritatis ipsius amor ad promovendam in corde hominis virtutem multum proficit, corroborat propriam vim rationis. Rationem, quantumvis valere videatur, languentem excitari plerumque opus est, idque per amorem veri maxime efficitur. Postquam peculiarem animo vigorem infudit, tum magnæ elatæque cogitationes facilius occurrunt : tum clariori visu res humanæ divinæque cernuntur, ut, quod Fabius de oratore, id nos de philosopho, recte dicere possimus : « *Pectus est quod philosophum facit*[1]. »

Accedit etiam quod ipsa discendi voluptas a nullis major percipitur, quam ab eis qui veritatem in amore habent, nec solius rationis consilio, neglecto affectu, sese obtemperare jactitant. Si rationem solam secutus fueris, iis tantum fruere gaudiis, quæ ex ipsa facultatum exercitatione, in homine nascuntur; quæ quidem, ut magna, ita non maxima sunt. Qui autem veritatis fieri compos, qui omnem ejus pulchritudinem atque

sobrietate animi mentisque libertate se præparet, priusquam attrectare mysteria cœlestis operis audeat. » Marsilii Ficini Opera, Basiliæ 1576, II, 1136.

[1] Unus e nostratibus ait : « Les grandes pensées viennent du cœur. » Vauvenargues, Réfl. et Max. 127. — « On ne s'élève point aux grandes vérités sans enthousiasme; le sang-froid discute et n'invente point. Il faut peut-être autant de feu que de justesse pour faire un grand philosophe. » *Id.*, Réflexions et Max. 3, OEuvres posthumes.

venustatem animo amplecti et accipere potuerit, quem eo feliciorem, quem pleniori beatæ vitæ fructu cumulatum dicemus ?

Eam secum utilitatem, ut cætera omittam, veri amor, et fons e quo amor veri procedit, affectus, trahere ac importare mihi videtur; quam judico esse tantam, ut neque spreta, neque dissimulata unquam fuerit, nisi maximo philosophiæ detrimento. Videte enim quam jejunæ sint disciplinæ omnes, quæ eam repudiaverunt. Jam quid peperit scholastica illa philosophia quæ ratiocinio, tanquam valido recte, cœlum ac terram commovere sperabat, cætera omnia dedignabatur? Num ad corrigendos mores, vel ad erigendos animos, per totum transitus sui curriculum, aliquid contulit? ulla virtutum semina effudit ? ullam paulo altiorem cogitationem excitavit? Propositas quæstiones dividere, verborum sensum atque structuram exigere, brevibus clausulis argumenta constringere, falsa sub specie veri latentia coarguere, hoc sibi jure vindicat; at aliunde, si paucos tantum doctores exceperis, plane imbellis est, ac palæstræ magis quam pugnæ accommodata. Parit telas quasdam doctrinæ, ut Verulamius ait, tenuitate fili operisque mirabiles, sed quoad usum frivolas et inanes [1].

Hoc autem optimum apud auctores mysticos, Gersoniumque in primis reperiri arbitror, quod

[1] De Augm. scient., lib. I, § 31.

illam quæ in affectu est, vim et animadverterint, et in lucem prodiderint, nullo non tempore jactitantes, non modo curiose veritatem investigandam esse, verum etiam amandam; sanæ mentis robur, maximum esse bonum, pii autem amoris beneficio, illud robur gigni, et ali, et sustentari; rationem etiam quæ, suapte natura angusta est, quasi dilatari, novosque rerum prospectus, omnino antea incognitos, procul circumspicere; tum demum perfundi animum gaudiis exquisitissimis quæ beatam homini, quantum per mortalitatis conditionem licet, vitam efficiunt.

Ne quis ergo miretur, si Theologia Mystica nunquam non in opinione virorum doctorum floruerit; ita enim informata fuerat, ut omnium temporum atque locorum plurima ingenia in admirationem suî raperet, eo semper majori ardore accepta, quod scholastici rerum indagatores, mendacibus argutiolis magis atque magis in dies implicati et impediti, inanius pabulum esurientibus stomachis afferebant.

Fortunati nimium mystici, si intra certos naturæ atque veritatis fines constitissent! Cum autem verum, ut omittere, ita omni parte amplecti menti humanæ vix liceat, postquam quanti vi affectus polleret, agnoverunt atque ostenderunt, nondum contenti, affectum rationi, non comitem adjungere, sed regem atque tyrannum imponere voluerunt, ita ut nihil per se ratio valeret, sed tota affectui subjacere, tota obrui et immergi

videretur. Non ergo consilium discipulis suis dederunt, ut ipsi caverent ne disputationum laqueis animus irretiretur; disputationes vero omnes, et inutiles esse, et ideo fugiendas contenderunt. Non docuerunt, tractantibus res divinas amandum esse Deum, ut ipsa tractatio consideratioque meliores exitus haberet; amari vero Deum idem esse quam cognosci, et ubi amor esset, ibi cœlestium arcanorum intimam quamdam anticipationem fore, et professi sunt et polliciti. Sic incerta cum certis, cum veris falsa, inconsiderate et inconsulte promiscuerunt, ita ut inde, tanquam e fonte lutulento, illa emanaverint placita, quæ reperta in Gersonio, et pro viribus nostris pensitata, agitavimus.

Quid autem inde colligendum esse censebimus ad rectiorem investigationis philosophicæ progressum? Hoc unum, quod maximi ponderis est, non omnia nec rationi nec affectui permittenda esse, aut potius, plurimum permittendum esse rationi, plurimum etiam affectui. Ut supra dictum est, per rationem res oculis subjectas intuemur; illarum proprietates, causas, progressus introspicimus; instituimus argumenta; si quid erravimus, animadvertimus; si quid boni invenimus, demonstramus; fit nobis quasi magister et judex, cujus auspiciis omnia percipiuntur, disponuntur, ordinantur. Per affectum facilior præbetur in inquisitiones difficillimas aditus; dulcissimo felicitatis sensu perfundimur; maxima ad emendandam

vitam utilitate augemur. Rationem igitur et affectum, non sterili certamine quasi inter se committere, sed una ad veritatis investigationem, et ad percipiendos ejus fructus dirigere, ea demum amplificandæ philosophiæ spes, id officium. Non negamus quin primas sibi partes ratio vindicet, et plus per se valeat quam affectus, si propriis tradatur viribus; cognitionem enim aliquam ratio saltem nobis dabit, affectus contra, ne in amorem quidem erumpet, nedum ultra aliquid possit. At ab eo tantum punctum omne ferendum esse contendimus, qui peculiarem vim utrique recta sententia vindicaverit.

Has theses dilucidare ac tueri conabitur ad doctoris gradum promovendus C. JOURDAIN, *in Facultate litterarum jam licentiatus.*

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis non. juniis ann. M DCCC XXXVIII,

Facultatis litterarum in Academia parisiensi decanus,

J.-VICT. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,

Studiorum inspector, procurandis Academiæ parisiensis rebus præpositus.